

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Ego Stanislaus a Jesu Maria quondam Scholarum Piarum, nunc Dei miseratione Ordinis Immaculae Conceptionis, sicut indignus Religiosus Divinum statum quo omnes homines obligantur semel mori ex amore Dei impleturus, protestor me in fide Catholica Romana ex hac mortali vita decedere, pro qua paratus fui tempore belli Svecici sanguinem profundere, cum me stricto gladio haereticus miles euntem ex Civitate cum Socio prope Partes Dominicanas invasisset, Socio (sicut fuerit Germanus) aufugiente, ego genibus flexis cervicem secundam exhibui, sed Divina providenti a factum est, quod nullum vulnus acceperim, sicut fuerim ter fortissime ictus, dolerem tamen ingentem fere per horam et dimidiam sustinui.

Nunc gratias ago Divinae bonitati, quod me ad diuturnius martirium reservavit. Nam gravissimas persecutiones in Scholis Piiis passus, vix etiam ex odio non fui occisus, et tandem prima vocatione mea iniquissime sposatus. Dimitto omnibus coram Deo, qui haec causaverunt.

Dispensatus a iuramento perseverandi in Scholis Piiis vigore Brevis Clementis X, repudiatis beneficiis ecclesiasticis et praesaturis, quae mihi a duobus meis Patronis Cracoviensi Trzebicio et Plocensi Tembicio Episcopis offerbantur, ex instinctu Divino, cum summorum Theologorum consilio, et sedis Ordinariae Cracoviensis et Posnaniensis consensu habitum candidum in honorem Immaculae Conceptionis Beatissimae Mariae Virginis assumpsi, et in eo me sine mora Illustrissimo et Reverendissimo Domino Domino Rharucio Nuntio Apostolico in Polonia cum obedientia et submissione praesentavi, benedictionem accepi et propositi mei fundandae Congregationis praesentis commendationem et confirmationem.

Cetera quia sunt in authenticis erectionibus expressa subiceo. Potius me ad deprecandam Divinam Maiestatem cum publicano converti humillime, ut pro sua misericordia, propter merita Domini mei Jesu Christi, et Beatissimae Virginis Mariae, et omnium Sanctorum remittere omnia mihi peccata mea, et poenas iisdem debitas dignetur.

Congregationem hanc, cuius indignus Praepositus, Domino meo Jesu Christi, et sanctissimae Virgini Genitrici eius Mariae, uti veris et solis huius Congregationis Immaculae Conceptionis Desunctorum Suffragatrici Fundatoribus, Directoribus, Protectoribus, Patronis devotissime in aeternum committo.

Sociis meis, et (si sicut dicere) Filiis hereditatem in Deum et proximum, Jesum Sidae Catholicae Sanctissimae Sedis Apostolicae reverentiam, cultum, et obsequium; votorum observantiam, humilitatem, patientiam, Desunctorum auxilium, pacem cum omnibus vehementer commendo.

Deprecor omnes tam domesticos, quam externos, si quos offendi, aut scandalizavi obsecrans, ut propter amorem Jesu Christi fragilitati meae ignoscant.

Illustrissimae Domui Wierzbovianae pro accepti beneficii immortalis gratias refero, sperans fore eam semper Congregationis nostrae faventissimam. Multas gratias ab Eminentissimo et Reverendissimo Principe Cardinali Radziejowski recepi, quas Eminentissimae Suae Deus aeterna vita compensabit. Illustrissimis et Reverendissimis Dominis Episcopis Posnaniensibus humiliter supplico, ut hanc Congregationem in sua diocesi legitime et canonice fundatam manutenere, conservare, protegere dignetur.

Religiosis Sorensibus pro hereditate, benevolentia, et tolerantia meae personae, tum Adm Reverendis Dominis Clericis in Communi viventibus, atque Civibus Dominus sit merces.

Vado non rediturus, orate pro me et ego pro vobis misericordiam Dei per vestra suffragia consecutus.

Imaginem Personae meae spectandam curiosis, vitae vero Domini mei Jesu Christi imitandam relinquo.

Nunc ad dispositionem uti Superior indignus venio. Eremitum et Caenaculum Domini his Patribus et Fratribus qui se has Domus ad mortem non relicturos constantia obligarunt, conservandas relinquo et resigno.

Patrem Joachimum a S. Anna de licentia Illustrissimi et Reverendissimi Domini Administratoris mihi in Coadjutorem electum etiam successorem desaro obligans eius constantiam districto Dei iudicio ad observantiam a Deo plantatam rigorosissime tenendam. Sed cum hic modo sit extra Provinciam ideo reginem Congregationis meis Assistentibus Patri Josepho ab Omnibus Sanctis et Patri Cypriano a S. Stanislawo consigno, et ut eis in Domino et pro Domino omnes reliqui Patres et Fratres obediant in Nomine Dei praecipio.

Memor voti paupertatis, non deberem quidquam innuere de rebus relictis, sed cum multa perperam fieri soleant, ideo ex voluntate Divina sic dispono de summis in Decreto Consistoriali Varsaviensi non specificatis.

Mille florenas mihi simplici debito a Magnifica Domina Theophila a Windiki Casock a Pincernissa Comzensi actis Cernensibus inscriptas, tum et mille quingentas apud Magnificum Dominum Constantinum Casock i Caenaculo Domini, et meis (non cupiam asteri) hic Deo servientibus, praecipue Patri Josepho ac Cypriano inscribo ea conditione, ut respectu census annui singulis hebdomadibus ab iis duae Missae, et eorum successoribus, una pro Desunctis suffragiis carentibus, altera pro peccatoribus dicantur.

Iura omnia tam Eremiti quam Caenaculi Domini, Normam vitae authenticam cum scriptis omnibus et sigillo Congregationis Patri Cypriano a S. Stanislawo Caenaculi Domini Superiori trader, et servanda committo; pro reparatione Caenaculi Domini apud Generosum Dominum Bogatek centum florenas et totidem in communi depositas assigno; Cetera oreterus eidem Patri Cypriano commisi, omnibus modernis et singulis posteris meis Fratribus et Sociis amplissimam Fundationem Dei Clementissimi Providentiam, perpetuo attribuens.

Benedictio Dei Patris, et gratia Domini nostri Jesu Christi, et communicatio Spiritus Sancti,
Patrocinium B. V. Mariae Matris Misericordiae, Tutela Caesitum omnium sit vobiscum semper Amen.
Anno Domini 1701, die 10. Aprilis haec omnia superscripta confirmo sicut iam nostra Congregatio
sit Religio votorum Solemni sub Regula imitationis Decem Virtutum Beatissimae Virginis Mariae,
quam humillime admitto et iuxta eandem Professionem Solemnem iterum renovare volo, salva si vixero
meliori dispositione Domorum.

Quod si Pater Joachimus iterum de consensu Patrem fuerit confirmatus Coadiutor, tunc eum tremendo
iudicio Dei adstringo ne mihi quidquam innovet, in habitu, titulo Ordinis, nec audeat impie cultum
Beatissimae Virginis Mariae quem eius Majestati uti seminidigni per recitationem Officii Immaculatae
Conceptionis et integri Rosarii exhiberis aboleri.

Idem de Cremati introducendi sentiat sibi et omnibus interdictum, quia hic potus arcana Dei miseratione
a Nostro Caetu alienus est; sicut vix possum subscribere manu graviter aegra, sed mente sanissima et a
Deo possessa.

Stanislaus a Jesu Maria
Ordinis Immaculatae Conceptionis indignus Praepositus mpp

Cremum Patri Josepho, Joanni et reliquis nunc ibidem residentibus et eorum
successoribus consigno, Caenaculum Domini et Domum Sanctissimae Matris
Dolorosae Goslinsensem P. P. Cypriano a S. Stanislaw, Jacobo a S. Anna, Paulo
a Nativitate Domini, Constantino a S. Casimiro et tribus praesentibus eorumque
succedaneis relinquo, qui tamen legitime electo Successori meo parebunt, sed si
quid novi velint introducere cum Dei et auxilio Nunciaturae subsistent.
Mando autem in Dei obedientia ut omnes hoc subscribant Sacerdotes, et si quis
noluerit pro filio meo et Sanctissimae Virginis Gemtricis Dei Servo fideli non
habendus ut supra.

Interfui praesens, et scripsi de mandato et haec omnia mihi dictata a
Patre nostro Stanislaw a Jesu Maria et eius propria manu subscripta.
Sub iuramento testor.

Cyprianus a S. Stanislaw Caenaculi Superior

Interfui praesens et de mandato subscribo

Jacobus a S. Anna Caenaculi Domini
Procurator mpp.

De mandato Pater Joachimus a S. Anna Ordinis
Immaculatae Conceptionis Beatissimae Virginis
Mariae Congregationis Polonae Procurator
Generalis mpp.

De mandato Paulus a Nativitate Domini
Residentiae Goslinsensis Praesidens interfui